

**Sequitur secunda  
pars principalis etc.**

**U**teris ac nove legis. Ita est secunda pars principalis huius libri in qua magister Be terminato probemio Incipit suum tractatum in quatuor libros parciales dividere. Cuius ratio secundum Philosophum est. quia scientie secantur quemadmodum res de quibus sunt. In quorum primo libro magister agit de deo absolute secundum rationem sue naturalis perfectionis. In secundo agit de eo in quantum eius potentia relucet in effectu creationis. In tertio agit de ipso in quantum claret eius sapientia in opere redemptionis. In quarto agit de eo in quantum eius bonitas seu clementia refulget in fructu glorificationis. Quantum igitur ad primum librum magister duo facit. Primo premit tit quedam generalia quasi totius operis prelibamina. Secundo suam intentionem exequitur. Et hoc in principio secunde distinctionis que incipit ibi. Hoc itaque vera. In prima enim huius libri distinctione magister tria facit. Primo determinat suum intentum. Secundo movet questiones circa determinata. Tertio determinata breviter recapitulat. Primum facit a principio distinctionis usque ibi. Cum autem homines. Secundum vero ab inde usque ibi. Omnia igitur que dicta sunt. Tertium vero ab inde usque ad finem distinctionis istius. Et in istis videtur stare sententia presentis distinctionis in generali. In speciali vero intentio magistri stat in tribus propositionibus.